



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II

***EPISTULA DATA  
CAMILLO S.R.E. CARDINALI RUINI,  
PRO ROMANA DIOCESI VICARIO GENERALI***

*Venerabili Fratri Nostro  
CAMILLO S. R. E. Cardinali RUINI  
Nostro pro Romana Diocesi Vicario Generali*

Spectabilis dilecta que in Bielorussia Ecclesia per sacram synodum celebrandam quaedam per vestigare contendit et factitare quae in omnium fidelium beneficium largiter recidant. Ad laborantibus inibi sacris ministris, religiosis laicisque, Evangelii salutares monitiones copiose subministrari denuo coepitae sunt, ipsaque Ecclesia tutum felixque ingressa est iter, ut, bene iuvante Domino, uberem profectum assequeretur.

Convenit igitur ac permagni refert ut eventus hic congruenter commemoretur et optimo iure extollatur. Celebratio enim haec copiam dat et facultatem non huius rei dumtaxat magnificandae, verum etiam animos ad ferventiorrem religionis sensum, clariorem fidem certioraque proposita permovendi.

Postulatis idcirco Venerabilis Fratris Nostri Casimiri S. R. E. Cardinalis Swiatek, Archiepiscopi Minscensis-Mohiloviensis, subvenire cupimus, qui a Nobis fidenter missum flagitavit ad XXIX-XXX diebus mensis Septembris finem sollemniter imponendum Synodo ibidem celebratae, ut inde fere sumentes vim, Minscensis-Mohiloviensis, Pinskensis Latinorum, Vitebscensis Sedes, dissipatis quibusdam adversis condicionibus, ubiores fructus eventuro de tempore fundant.

Quocirca ut ritus hic spectabilius efficaciusque evolvatur, ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus, qui Nostra pro Romana Ecclesia Vicariam operose geris personam, quique prorsus idoneus occurris ad ministerium hoc praestandum et luculenter explendum. Itaque

permagna moti affectione, te Missum Extraordinarium renuntiamus et constituimus ad sollemnem ritum illum quo synodus antedicta ad exitum adducetur.

Universis igitur participibus hominibusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam Nostramque dilectionem ostendes, cum quamvis longo spatio separemur adsimus spiritu praesentes. Pastoribus inibi fidelibusque cunctis, Magni Iubilaei spiritualibus repletis fructibus, Nostro nomine Nostraque auctoritate Benedictionem Apostolicam impertias velimus, quae sit animorum renovationis signum et felicioris aevi documentum.

*Ex Aedibus Vaticanis, die I mensis Septembris, anno MM, Pontificatus Nostri altero et vicesimo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**

© Copyright 2000 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana